quæ ad Deum ordinat hominem in obsequio pię religionis, necessitudini generis antefertur. Nulla enim Deo merces melior, quàm ea quæ habet pietatis munera. Pietas nanque grata Deo deum reconciliat, necessitudines fouet. Ipsa est Dei cultus, merces parentum, filiorum stipendium, iustorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffragium, & indulgentia peccatorum. Obedientia verò, quæ ad deum ordinat hominem, est voluntas faciendi præceptum superioris, scilicet Dei. Si cor nostrũ per inobedientiam non reprehendit nos fiduciam habemus apud deum, quicquid petierimus à Deo, accipiemus. Hanc nobis insinuare voluit Dominus Iesus, per obedientiam quam exhibuit patri, de qua Apostolus ait. Christus factus est obediens patri vsque ad mortem crucis. Vnde frequenter cogitandus esset amor ille, ex quo altissimus voluit pro nobis obedire vsq; ad mortem crucis, vt confunderemur non obedire obedienter, quæ ab ipso nobis iniunguntur.

Philip.2.

Quibus studijs exerceatur anima, vt ad perfectionem veræ iustitiæ attingat, & quæ sit ipsius perfectio.

CAP. VI.

QVemadmodum omnis professio omnisq; ars certum habet modum & exercitium, quo ad sui finem facilius ducatur, ita & virtus iustitiæ, de qua loquitur præsens sermo, habet studia sua, per quæ homo ad perfectionem ducitur veræ iustitiæ, tantóque efficitur Deo propinquior, quanto in his exequendis extiterit promptior, quia reuera nulla maior est iustitia, quàm seipsum Deo offerre sacrificium immaculatum. Cætera nanque sacrificia cœlesti regi grata non sunt, si ille, qui offert, semet prius cum aliis sacrificiis non obtulerit. Primum enim sacrificium, propter quod homo ad perfectam proficit iustitiam, est sacrificium contriti cordis pro perpetratione scelerum suorũ. Nam contritio sola est, quæ facit animam obhorrere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugere risum, & veram sectari iustitiam. Si voluisses, ait Dauid, sacrificium dedissem vtique holocaustis non delectaberis. Et subdit. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despicies. Aliud sacrificiũ est corporis propter Deum mortificati, de quo Apostolus. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuentem, sanctam, Deo placentem. Per hoc enim multa acquiruntur bona gratię propter hoc opus iustitiæ. Amaritudinem nanque radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spe lucri delectant, dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui enim desiderat nucleum, frangat nucem, & pœnitentiam agat, corpus mortificet, qui vult æterno adhærere bono, & perfectam obtinere iustitiam. Hæc autem Christi prætonia narrare possunt, qui ad palmam indulgentiæ peruenire meruerunt. Tertium verò sacrificium, propter quod impletur iustitia, & deus promeretur, est quum miseriis proximorum compatimur ex corde. De hoc Apostolus. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur deus. Misericordia autem est affectio, quæ nec voluntare coeretur, nec ratione subiicitur, sed ipsas pias iustorum mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu. Nam misereri dolentium plurimum Deo placet. Ipsaque compassio est timor pius, humilis, fructuosus, qui cuilibet (quantumlibet) peccatori facile misericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & seruat humilitatem, mansuetudinem, patientiam, & longanimitatem, & ad perfectam prouehit iustitiam. Est & aliud sacrificium, quod pro amore iustitiæ homo Deo offert, id est cordis igne diuini amoris inflammati. Si igitur vis in vitiis perfectè purgari, & iustitiam perfectam obtinere, inquantum præuales, accende in te ignem diuini amoris. Nam si dulcedinem diuini amoris gustaueris, de temporali delectatione non curabis, tantóque ardentius iustitiæ opera implebis, quãto amplius cœlesti dilectione abundaueris, & tunc Deo suauissimũ incensum adolebis, quum cor tuum eius pro sanctóque amore flagrauerit. Quintum autem sacrificium, per quod iustitia consummatur, si Deo iugiter offeratur, est sacrificium laudis, de quo dicitur. Immola Deo sacrificium laudis. Illa verò summa & digna laus est, quæ non de creatura, sed de creatore concipitur, quæ non mortali, sed æterno regi libatur, qua quisq; acceperis, nemo tollet à te. Cui aliunde comparata omnis iucunditas mœror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum fœdum est, omne postremo, quod delectare potest, molestum est. Hæc est, quæ ciues cœlestes lætificat, & beatos facit, sicut in psalmo dicitur. Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Aliud quoq; est sacrificium iustitiæ, quo nihil in hac peregrinatione perfectius, gratiũsque Deo offerri potest, de quo sic legitur. Tanquam aurũ in fornace probauit eos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Vtique tales sunt, qui pro veritate & iustitia animas suas tradiderunt tormentis, conuitus, & morti. Consummatio autem huius est introitus ad gloriam. Adeo enim placet hoc sacrificium Deo, quod per ipsum omnia mundantur peccata. Huic patent regna cœlorum. Nulli nanque tam secure datur exire de corpore, sicut cui donatum est per iustitiam seipsum Deo offerre. Hic est cursus, & hæc est perfectio veræ iustitiæ, pro qua quicunque occubuerit, perpetuam recipiet à domino coronam gloriæ, sicut ipse ait. Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Gradus tertius, & fructus tertius in ordine ligni vitæ est iustitia, quam qui tenet teneat, nec ipsam deserat, quia hæc est securitas mentis, tranquillitas animi, vitiorum inimica, dæmonum terror, bonorum causa, virtutum operatrix, hominum auxiliatrix, populorum custodia, securitas mortis, Dei amica, angelorum consors, & omnium gratiarum interuentrix efficax, quam qui tenuerit, non peribit in æternum.

Psal.50.

Rom.12.

Hebr.13.

Psal.49.

Psal.83.

Sap.3.

Matt.5.

VNDE ORIATVR CARITAS, *& quàm sit necessaria virtus, & de ipsius virtutis diffinitionibus, quæ Caritas in fructibus Ligni vitæ quartum sortitur locum.*

CAP. VII.

VIam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. O vera confessio, & prædicanda cognitio, quæ ignorat vsurpare alienam gloriam, & se extollere supra mensuram. Nemo aliunde præsumat, quàm ab æterno caritatis fonte, nullus sibi arroget, quod potest. Hæc vna omnium diligentium Deum sententia.

Psal.118.